

functus, inter majores conatus ad-  
versus Turcas & Polonos, præmatu-  
ra morte, sive ab æstu nimio, sive ex  
immodico peponum esu contracta,  
cum summo omnium inœrore, in  
vico Vngariæ, haut procul Strigonio,  
extinctus in Alba regali sepultus  
est. Elisabetham uxorem reliquit  
gravidam, Ladislaum posthumum,  
intra quartum a nativitate mensem  
pro Vngariæ Rege coronatum, eni-  
xam: de cujus fortuna in Friderico  
III. dicemus.

§. CCXXI. Alberto nimirum anno  
MCCCCXL. succedit FRIDERICVS  
III. Archidux Austriæ, Ernesti Ferrei  
ex Kimburga Masovica filius, Leo-  
poldi ab Helvetiis cæsi nepos, Alber-  
ti Sapientis, quem Albertus I. Cæsar,  
Rudolphi Habsburgici filius, genu-  
erat, pronepos: abditi Princeps inge-  
nii ac circumspecti, anno MCCCC-  
XLI. Aquisgrani, ac decennio post  
cum Eleonora conjugæ, Edoardi Lu-  
sitaniæ Regis filia, a Nicolao V. Ro-  
mæ coronatus. §. CCXXII.